Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25879
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dio. et nepos sensus causa hominum mortis periculum generarat. ille qui multis sepius vitam contulerat vir insignis ac summa ducis predicti potestate affuit deo imperante. et iurgantium litis rector effectus utrasque compescuit. atque armigerorum seva consilia dissipavit. Post hec corpus salutiferum ad aurelianensem urbem iubet publicum deferre peregrinum. Tunc clunensium turba amaris fletibus spargunt voces in altis deprecantes ut quem menbris in faciem non fuerant consecuti. vel ipsius reliquias valeant adipisci. Nec potuerunt beneficia denegari. quod lacrimis cernentes dolebant salubriter postulare. Tunc summum qui advenerant sacerdotis trementes audent contingere corpus. et reliquiarum magnum possidentibus confuerunt munus. Igitur inde progressi sacerdotes corpus in sublimi attollunt. et urbana manus lectulo nobilia colla supponit. velut qui ferret gauderet contingere lignum. At sceleratissimum furi communi hostili turba procedit. atque strata passim subsistit in ordine plebs. urbemque petentes populi condenso pede feruntur. Cerneres ut cereis accensis. ruralia candere flammis. et in milibus multis stipatur belsa catervis. Iam primorum cornu populi tangebat arcem. et adhuc multi a castro se nec dum commoverant. Ex clunensi quoque castro omnis clericorum psallentium chorus occurrit. sed quanti ex vicinis urbibus ad tanti exequias celebrandas alacres convolaverunt. quis valeat explicare? Quorum hymnificus clamor velut celeste tonitruum sidereo resonabat olimpo. et erat vox una subclamantium et dicentium. Gloria in excelsis deo. et in terra pax aurelianorum in perpetuum sub astro. Illi vix tandem inter aggesta agmina durum iter perrumpentes defunctum pertulerunt ad sepulchrum. ibique sanctum in locum centum ab urbe gressibus distantem formidantem cum summa reverentia magni pontificis tumulant defensorem. Cum titulo supponitur vilissima ligni memoria. interim tam venerantur membra ab universa ecclesia. Eodem tempore childilbertus inclitus francorum princeps qui gallias suo imperio cohercebat. commotum exercitum ad subiugandam sibi hispaniam decreverat producendum. Audita autem tanti viri fama. et quod sepulchrum ipsius exiguis fuerat parietibus circumseptum. celesti regi sub integra devotione pollicetur. ut si incolomis ad regnum suum solum ipsius sancti intercessionibus remearet. immensam eidem super sepulchrum ipsius precepit suis cultibus fabricandam ecclesiam. Qui abversarius in itinere multas perpessus insidias. ac multociens de imminentibus periculis pavitans nomen libatur. et sospes ac triumphator suo redditur regno. Tunc insuper dicto loco egregiam fabricam ut sponponderat erexit. ac velut margaritam aureis conclusam locellis pre-tiis sui viadonis sollertia decoravit. Cui opus dignam non credimus deesse mercedem. ubi assiduis miraculis virtutum gesta clarescunt. Cecorum claustra solvuntur. debilium membris subito solidantur. muti vocem recipiunt. surdus auditum postulans apprehendit. datur salus integra regioni. et pomorum infirmitates velox medicina percurrit. Vir sanctus coniungitur amano. et turba aurelianorum circumsepta virtutibus servatur in medio. Sub quorum patrocinio nos divina trinitas custodire et conservare dignetur. cui est honor et gloria in secula seculorum. AMEN.

Passio sanctorum Marcelliani et Marci.

CLARISSIMIS VIRIS MARCELLIANO et MARCO duobus germanis fratribus pro Christi nomine in vinculis constitutis. beatus SEBASTIANUS cotidie solatium exhibebat. et tam ipsis quam servis eorum cum quibus tenti fuerant. salutaria fidei consilia ministrabat. quibus fugitiva seculi blandimenta respuerent. et momentanea tormentorum genera non timerent. Qui cum beatissimus consolationibus acquiescerent. et verbera carnificum animo perseveranti transirent. capitalem iussi sunt subire sententiam. ea scilicet ratione ut si eodem momento quo decollandi erant sacrificiis consensissent. et parentibus suis et coniugibus et filiis et facultatibus redderentur. Erant enim non solum ut diximus genere clarissimi viri et facultatibus ornati. Quorum pater erat tranquillinus nomine. et mater marcia vocabatur. qui illos sequebantur cum uxoribus et filiis eorum. immo etiam in suis nepotibus ducebantur affectu. Unde factum est ut ab agrestano chromatio urbis rome prefecto. xxx. dierum inducias impetrarent. in quorum spacio ageretur cum eis. quatenus ad thurificandum ydolis consentirent. Accedentes itaque amici eorum ad eos. ceperunt dicere. Unde vobis tam durum. tam ferreum pectus. quod caniciem paternam patris abicere. et matris iam decrepite novos partus afferre? Nam ille partus dolores suos consolationes superabat. cum in uno dolore duos filios pareret. et geminum filiorum funderet affectum. Non vero insanabilis pena. irremediabilis cruciatus incomparabilis partus est. quo spei gaudium tollitur. vita contempnitur. respuitur gloria. et contemptis omnibus pietatis affectibus. mortis atrocitas appetitur. Obsecramus vos o amici karissimi. tandem his date cladibus finem. et vos patris et dulcium filiorum vel ammonitu mementote. Hec et his similia amicis dicentibus. miseram se clamans mater advenit. et soluto capite canos sue senectutis ostentans. in conspectu eorum vestem qua tegebatur pectus scidit. et cunctis flentibus ostendit eis